

involucrum duplo superantibus; foliis profunde inciso-dentatis pinnatifidisve, radicalibus obverse et anguste oblongo-lanceolatis, apice subacutis, caulinis angustioribus, superioribus linearibus integris apice attenuatis; caule erecto, a basi vel superne tantum ramoso, ramis erecto-patulis subdiffusis.

Hab. in incultis Hispaniae occidentalis: circa *Oviedo*.

A *T. concolore* differt foliis valde angustioribus et profundius dentatis, habitu tenuiore. Ligulæ sunt lætius sulfureæ et ad apicem dentium puncto rubello plerumque insignitæ, et involucrum imo apice fuscescens.

**TOLPIS DICHROA**, calyculi foliolis involucrum vix æquantibus; capitulis discoloribus, ligulis centralibus fusco-purpureis, exterioribus sulfureis involucrum vix superantibus; foliis sat crebre dentatis, anguste oblongo-lanceolatis, apice acutis, caulinis angustioribus, superioribus linearibus integris; caule erecto, ramoso, ramis erecto-patulis apice cano-furfuraceis.

Hab. in incultis Galliae australis: *Celles-les-Bains* prope *La Voulte (Ardèche)*.

Habitu ad *T. concolorem* accedit; ab hac autem involucro crassiore æque lato ac longo calyculum et akenii setas superante, foliisque angustioribus profundius dentatis, præter capitulum discolor, haud ægre discernitur.

**TOLPIS DISCOLOR**, calyculi foliolis involucrum conspicue superantibus; capitulis discoloribus, ligulis centralibus atropurpureis, exterioribus sulfureis, involucro longioribus; foliis remote inciso-dentatis, radicalibus anguste lanceolatis acutis, caulinis angustioribus, supremis basi et apice eximie attenuatis; caule erecto ramoso, ramis erecto-patulis.

Hab. in incultis Galliae australis: *Béziers (Hérault)*.

A proxima *T. dichroa* recedit foliis angustioribus, remotius dentatis, calyculo longiore involucrum superante, ligulisque involucrum magis excedentibus.

*T. baetica* Mill., Dict., n° 3. — *T. barbata* Gærtn. — *Crepis barbata* L., ex parte, in Lusitania Hispaniaque crescens et etiam in Gallia, ex spe-

ciminibus prope *Perpignan* lectis et in herbario dom. E. Miciol visis, a præcedentibus speciebus, et præsertim a duabus ultimis, quibus capitulis discoloribus propior, facile distinguitur calyculi foliolis involucrum longe superantibus, capitulis valde amplioribus, et akeniis plerumque bisetis nec quadrisetis.

*Tolpis barbata* Reich., *Ic. flor. germ.*, 1359, n° 1, ad *Tolpidem bæticam* minime spectat, ut cl. Willkomm et Lange in *Prodr. flor. hisp.* immerito citant, sed potius *T. discolori* nostræ congruit.

*T. barbata* Biv. Bern., *Monogr. delle Tolpide*, p. XIII, tab. 3, quæ capitulis centro atropurpureis prædita est, ad *T. bæticam* non accedit. Eam Bertolonius ad *T. umbellatum* suam, propter akenia quadriseta, in *Flor. ital.* VIII, p. 54, ut synonymum refert; sed a speciebus nostris supra descriptis pluribus notis discrepat. A *T. discolor* et *T. dichroa* differt foliis conspicue latioribus, caule magis foliato robustiore, capitulisque majoribus. *T. Bivonæ* nomine designandam censemus. Specimina gallica prope *Cannes (Alpes maritimes)* lecta vidimus, ad hanc probabiliter referenda.

*T. quadriarista* Biv. Bern., *loc. cit.* p. IX, t. I. — Guss. *Syn. flor. sic.*, II, p. 415, ad *T. umbellatum*, in Bertol., *Flor. ital.* VIII, p. 54, pessime relata, speciem sistit a præcedentibus abunde diversam.

*Odontis* Hall. species. — Grex *Euphrasiæ viscosæ* L.

ODONTITES ALPESTRIS, racemis laxiusculis; calyce oblongo-obconico vidente, pilis mixtis eglandulosis crebrioribus obtecto, vix ad medium bilabiato, lobis ovatis vel ovato-lanceolatis, acutiusculis; corollæ luteæ tubo inclusa, labio superiore apice truncato, labii inferioris lobo intermedio aperte emarginato; stylo glabro, vix basi pilosiusculo; capsula calycem paulo excedente, fere obovata, apice haud emarginata; foliis patentibus demum subdeflexis, linear-lanceolatis, acutis, integris vel utroque margine dente unico præditis, viridibus, undique pilis brevibus sparsis glanduliferis obsitis; caule a basi declinata ascensente, surrecto, stricto, pilis glandulosis pubisque minuta subreversa eglandulosa obtecto, ramosissimo, ramis erecto-patulis.

Hab. in sylvis montium Galliæ orientalis: *Briançon (Hautes-Alpes)*.